

[Faint, illegible handwritten text visible on the edge of the adjacent page]



I. Epigramm. Sacra.
 II. Prosa. Jesu Christi Hochzeiten.
 III. In Nuptias Pauli & Petri.
 IV. In Nuptias Christi & Mariæ.
 V. De Cruce Regia M. Christophori Caroli.
 VI. De Vidua Sanctana Terentia Coleri.
 VII. In Angeli Eilenbergii oratione & latine.
 VIII. Hymnus in D. Lucam Evangelium Reflexus.
 IX. Historia de Joanne Bapt. & Dominici.
 X. Opera Beatae Marce Græmii.
 XI. Amores Tachmanni. *Rep. 32*
 XII. Prosa Hermannii Plassii.
 XIII. Carmen Monitorium post unam diem la-
 tis Græcæ & Latine.
 XIV. Carmen Adulatorium ad Scholasticum
 Juramentum Koldij.
 XV. In laudem Brenneri Monachii dearmia.
 XVI. Eisdem de rebus Mentio Analethi.
 XVII. Eisdem Apologia p. Cæciliæ p. trahit.
 XVIII. Tacheri de q. Monarchia Mundi.
 XIX. In Epitaphium Vite, Joachimii Maronensis
 Brandeburgi D. Hildesheim.
 XX. In Nuptias Rudolphi Principis Anhaltini.
 XXI. Nova Vita Rodolphi, Henrico Ju-
 lie Præ-Bischoffensis scripta.
 XXII. Elegia Henrici Eschen Mauritii Lamb-
 gii. Inoffensa.
 XXIII. Eisdem Gratulatio Fulvio Ele.
 Stori Galatino et Johanni Georgio
 Principi Anhaltino.

XXIV. Epita Foppii ab Aeterna ad Johannē
 Georgii Principē Anhaltinū.
 XXV. Carmen Gratulatorium Geseni de Reditu
 Christiani Principis Anhaltini ad suos.
 XXVI. Panegyricus urbis Martisburgæ.
 XXVII. Epica J. J. P. P. P.
 XXVIII. Foppii ab Aeterna in Calendar Janu-
 ariæ ad Distalmerer.
 XXIX. Encomium Blasii.
 XXX. In honorem Anargi Frederici Baronis,
 Rectoris Electi.
 XXXI. Comitum Julatna Reufnero concessa.
 XXXII. Gratulatio ad M. Streigandium, am-
 mone Superintendentis et p. p. p.
 XXXIII. Carmen de Miraculis Mathematicis.
 XXXIV. Honoris Magisterii Isaaci Gregorii
 Philippi Fuldæ.
 XXXV. In lauream Poeticam M. Foyleri.
 XXXVI. Propemptica Melchiori à Winteru.
 Mart. o Polycarpo.
 Curado Brande.
 Samueli Puffio.
 XL. Conjugio Francisci Hildensami Medic.
 Christophori Fözeri.
 Wolfrangi Anhaltini J. V. D.
 Augustini Gessii Patricii Hildens.
 M. Joan. Specneri.
 XLV. Epitaphia Juliasiana M. Christ. Caroli.
 XLVI. Conjugio Davidis Havbeckii Pastoris.
 XLVII. Familis Rockstedij Typographo Hildens.
 XLVIII. Frederici Clossi J. V. D.

1/1 Rodemann



- L. Conjugio Petri Weyheri.
 LI. Pauli Symplicii F. V. P.
 LII. Augustini Gysii Patrisi Halensis
 LIII. Eisdem.
 LIV. Eisdem.
 LV. Bernardi Gysii F. V. P.
 LVI. M. Joannis Fyffers.
 LVII. Jacobi Scherer.
 LVIII. M. Jacobi Gysii.
 LIX. Joannis Phisii.
 LX. Canonis Morienti Famioli. ~~Phisii~~
 LXI. Canonis de Lethero Redivivus.
 LXII. Epitaphia virorum celeberrimorum Pan-
 talconis Canditi.
 LXIII. In obitum Frederici Carolini Ducis Saxon.
 LXIV. Lamberti Distelmarii Castellani.
 LXV. Laurentii Solonis Solita Gothica-
 rum Magistri.
 LXVI. Lucae Maji Pyloris Castellani.
 LXVII. Stephani Gysii Studii.
 LXVIII. Filii M. Christoph. Casaris.
 LXIX. Consolatoria ad M. Christoph. Casarem
 de dno filij.
 LXX. Eisdem.
 LXXI. Frederici à Weigro.
 LXXII. Laurentij Ciceronii.
 LXXIII. Joannis Marci.
 Joannis mundi Marci F. V. P.
 LXXIV. Henrici Cameracii F. V. P.

⁴⁹
HYMENÆVS,

AD NUPTIAS

PETRI WESENBE-

CII JUNIORIS,

ET

MARIÆ STRAS-

BURGÆ,

Factas Norimbergæ

XVII. AVGVSTI,

ANNO

CLIOCCI.

DECANTATVS

AB

AMICIS.




NORIBERGÆ,

In Typographéo Pauli Kauffmanni.



#311

*On. M. Albrecht
affini suo.*



PAVLI MELISSI FRANCI,
COMITIS PAL. ET EQV. AVR.
CIVIS ROMANI

M E L O S,

AD NOB. ET CL. VIRVM
PETRVM WESENBEIVM JC.
cum filio illius PETRO nuberet MARIA,
filia ABELI STRASBVR-
GI JC.



*LARISSIMORVM consociabilem
Sexum virorum fœdere mutuo
Coire per tadas jugales,
Latitia est soceris utrisque,
Et subsequuta deinde propagini
Agnationis: ceu WESEBECIUM
STRASBVRGIUM QVE insigne nomen
Jura per intemerata nodis
Cæpit maritis jam coalescere,
Tu PETRE natum, patris imaginem,
Cum prole ABELI rite pangis,
Ætheris auspicio secundi.
Urbs Noricorum per vetus exigi
Fausto videbit numine nuptias,
Cum mensis Augusti lucerna
Septima post decimam nitescet,*

A a

Ver-




*Versante Phæbo in vertice virginis
Spicum gerentis. Lampada præferet
Castus Cupido, Juno ceston
Seu Venus ipsa, sui calentem
Ex igne lumbi. Gratia myrteas
Fucunda binis nexa sororibus
Feret corollas, aureisque
Serta plicabit amœna filis.
Nymphæ decentes circuitu vago
Ducent choreas, ad strepitum lyra,
Et personantum tiliarum
Vespere sub rutilante cantum.
GENTILIS alti pectinis artifex,
Idemque Juris rector arbiter
Æquique, RITTERSVSIUSQUE
Consimilis studiis in isdem,
Collega sollers, ac Themidis decus,
Altorfiano posthabito Lare
Ad lata Pegnisi volabunt
Flumina, quâ tilia videntes
Et prata & urbis divitis insulam
Densis opacant frondibus. Haud erit,
Ut alter ad sollemne festum
Adveniat vacuus canoris.
Secum Camenas, secum Aphrodisia
Novella ducent, atque Hymeneios
Tori paratûs, splendidisque
Carmina vermiculata gemmis.
Sponsi decorem stemmâque fulgidum
Dicent, & artes Palladis inclitas,
Bonâque mentem, cum parentis
Eunomiâ, memorique famâ.
Sponse nitorem & labra corallina
Canent, & aurum crinibus illitum,*

Et

In co
Diis

Felic
Æt



Hau

Tan

Hau



*Et dona pura castitatis,
Atque pudicitia sacellum,
In corde nupta, matre superstite,
Diis consecratum. Cetera qua suis
Votis amici comprecantur
Conjugibus, precor ipse juxtim
Felice verbo. Sit W E S E B E C I D Ū M
Aeterna gens, & gens itidem dies
STRASBURGIA aternos vigescat
Innumero numero nepotum.*



E L E G I A
I A N I G R V T E R I I C .

Ad Sponsum

P E T R V M W E S E N B E C I V M
J V N I O R E M .

VNA W E S E N B E C I P E T R E proles mascula, sicne
STRASBURGI MARIAM quaris habere procus?
Nec terret fronte expositum ipsa nominis omen;
Ut tibi amaror edax fiat & acre mare?
Haud metuis, video, quia quantum hoc terret & istud;
Tantum etiam inuitat nominis alter odor:
Tanquam qua sit Amoris amor, fieriq; marita
Mox queat, & Veneres suppeditare novas;
Haud secus ac quondam Venus è mare nata Dione est,
Qua sine nil lepidum, nil geniale magis.

Et

A 3

Omen



Omen id ergo tene, mare sit MARIA ipsa, ubi amaror
Non habeat, Borea vis nec amara locum.
Sit mare, quo ludant Charites, natitetq; Cupido;
Quodq; PETRE ante omnes te sitienter amet;
Tuq; ipsum contra, nec tantum Aestate liquenti,
Verum etiam tunc cum turbida flabit Hyems.
Nam quamvis maria haud constant sibi cetera, quamvis
In portu frangant PETRE subinde fidem:
Fallor? an hoc ita erit tranquillum ac dapsile, portu
Ut tibi vel medio donet habere sui.



SCIP. GENTILIS IC.

E P O S

AD CLARISS. VIROS,

D. PETRUM WESENBECEIVM,
Consil. Duc. Saxon.

&

D. ABELVM STRASBURGVM,
Consiliar. Reip. Norimberg.

Consoceros,

De Nuptiis liberorum & suo itinere Bohemico.

WESEMBECEI oculis, oculis mihi charior ipsis
STRASBURGI, quid me reducem fessumq; viarum
Tot salebris, sabulo atque astu candente recoctum,
Poscitis Aonidum gratissima dona sororum?
Illa quidem vobis (fateor) justissima caussa,
Imò nulla queat quàm justior esse, rogandi est:

Nec

Nec cui nostra magis cupiat servire Thalia.
Diligo enim vestros, lectissima pignora, natos:
Quos nunc sanctus Hymen nodo constrinxit honesto:
Magnaque percipio sincerâ gaudia mente,
Cum video pietate suâ, niveoque pudore
Tales esse illos, tantis & dotibus auctos:
Ut quos magnoperè, quales ii cunque fuissent,
Cogerer ob vestra pretium virtutis amare,
Nunc etiam merito ipsorum de amem, atque libenter.
Quorum præ reliquis cantare incendia lata
Debebam, fessus quamvis, & pulvere tostus,
Nime irata premant offensâque numina sancta
Musarum, caussamque dedi, cur perdere vellent.
Namque (fatebor enim) Boiemi ad flumina Moldæ
Nuper contendens, & iter describere nostrum
Carmine deproperans, Ranas in vota vocavi,
Musarum spreto auxilio, Phæbique parentis.
Ex illo nostræ in pangendis versibus omnes
Spes defluerunt. nil posthac SCIPIO vobis
Dulce canet, nullos juvenum celebrabit amores,
Nulla illum myrtus decorabit, nullaque laurus.
Sed ne animi vanum ac linguæ me fortè putetis
Iratas nobis Parnassi fingere divas:
Accipite hos versus, nostri monumenta furoris,
Quos rheda currente & equis meditabar anhelis,
Nec potui, miser, infestus contexere Musis.
Nec RITTERSHVSI nostri, cui tale parabam
Latus epos, magni ipsarum me juvit alumni
Gratia, regnataq; illi Permesides unda.

Discedens Altorphio.

M OENIBVS egressum Phæbeæ sedis, & arces
Sublimes regum, Boiemâque rura petentem
Viculus excepit primò, quem rara palustri

Ulvâ

rum
tum,

Nec



Ulvâ canna tegit, ranisque loquacibus hospes.
 HAS ego, non Musas socias, in vota vocavi:
 Ut mihi facundos comites linguasque dicaces
 Largirentur, iter mihi quò jucundius esset.
 Nam nihil in longa mage, difficilique molestum
 Esse via, CVNRADÉ, potest, quàm neminem habere,
 Qui joca, qui tecum partiri seria possit.
 Postquam ita limosa vocalia numina ripæ
 Orassem, pergo: & pagum venio ecce propinquum,
 Qui malè se in rivi piscosi nomen adoptat,
 Mendaci tumidus stagno, vapidâque lacuna.
 Hic tamen in viridi paullum requievimus herbâ,
 Frumentique albo recreavimus ora liquore;
 Dum Saturnia falx prati tonderet honores
 Interea, & duros messorum rustica Phyllis
 Mulceret longum cantu fallente laborem.
 Vespere dein sero praclaram intravimus Urbem,
 Qua nihil Europâ Sol pulchrius aspicit omni:
 Francia quâ victrix caput altè in nubila tollit,
 Pampineis formosa jugis, & Marte superbo
 Nobilis. hic comites & dulces nactus amicos,
 Quadrijugo ingredior curru per trita locorum.

Rediens Altorphium.

FGRESSI Pragâ, largo conspergimur imbri:
 Quem non inviti patimur, quia rore Lyæi
 Sparsi intus, cunctos poteramus spernere nimbos.
 Millia bina die tantum processimus illo:
 Namque auriga piger, lentisque infamis habenis,
 Vespere supremo, mediis abjunxit in agris:
 Vestitum & palea tegetem, satiatâque multo
 Limo terga casa jubet imperiosus inire.
 Vis cœnam ut memorem? panis satis albus, aceti

Cantha-

Cantharus (indigena Bacchi virosa saliva)
Inspidique duo pisces, sex anseris ova.
De quibus orta inter comites cum grandior esset
Quaestio; gallina partum his dicentibus, illis
Alitis, adpressâ Gallos quæ Romuli ab arce
Depulit; hanc nobis quædam Carfania litem
Decidit, de gallinis cum diceret Indis
Edita, in hanc talem consueta excrescere formam.
At non illa ego, nec quicquam contingere qui vi.
Deducti cubitum, lectos non segnius illos
Fugimus, ac pernix anguem fugit Appula virgo
Conspectum, Nilique canis libata fluenta.
Stramine perfusi, & fæno versamur in alto.
Surgimus hinc properè, Phæbea lampade nondum
Sidereas hebetante faces, meliora precati
Nequicquam, namque in vicino prandia pago
Sumentes, primùm sine vino, deinde sine ullis
Deliciis aliis, vilem potamus amurcam,
Seu lotium maoris id cervisiale vocare.
Donec fluminea exoptata ad mœnia Pilsæ
Venimus, & lautis epulis mundoque paratu
Excepti, nebulam ex animis deterimus omnem.
Inprimis quòd, pinnigeri calcaribus icta
(Ut puto) amoris, erat nobis formosa puella
Ad cyathum, dulci conspergens dicta lepore,
Et roseis malis, roseo peramabilis ore,
Nudarat niveos, incinctâ veste, lacertos.



B

DE

tha-



DE NYPTIIS
PETRI WESEMBECII JUN.

ET

MARIÆ STRASBURGÆ,
ornatis. Sponsorum,

ODA

CUNRADI RITTERSHVSII.



OTA WESEMBECIDUM, & vatis promissa MELISSA
Pudore quis subrustico fallere sustineat?
Munera queis Superi tribuerunt omnia Sponsis
Largissimâ ornatis manu, carmina quis negitet?
Hæc etiam mutis vocem cantumq; cycnæum

Donare piscibus queant; nedum animent hominem,

Desuetâmq; Lyræ nova fundere carmina cogant,

Tadis benè apprecantia conjugibusque novis.

Quid tibi, clarorum ô soboles condigna parentum,

Ac spes domus amplissima, quid rear esse animi,

PETRE, tibi endo manum dum convenit aurca virgo,

Petita vel centum procis (urere quos potuit,

Ignitas è luminibus jaculata sagittas)

Negata sed centum procis; debita quippe tibi,

Ordine fatorum immoto, tibi debita conjunx,

Qui cum beatum avum exigas, & clueas genitor.

Qualis ovat, si quis superavit Olympia victor,

Cum premium latus capit: tu quoque talis ovas,

Ante aliósque caput gestas insigne coronâ.

Corona talis addecet condecorâtque viros,

Queis claros peperit superata libido triumphos,

Toróque puros intulit, conjugioque pio

Tradi-

Tradidit integros, & mente ac corpore castos.

Rarissimam ô victoriam! ô decus eximium,
Nec nisi cœlesti veniens à numine munus!

At tu, parens clarissime, gloria amorque Dices,
O nostri quondam benè firma columna Lycei,

(Fatis & ò visum foret, te esse manerèque ibi!)

Cujus magna humeris vis jam inclinata recumbit

Negotiorum Principis Saxonia Domini:

Quid te, quid jam animi, tali sub tempore nati,

Habere patrem prædicem? Te quoque, ABELE, tua

Quid jam animi, nata tali sub tempore, habere,

STRASBURGE, credam? ô & decus præsidiumque meum,

Norica res populi quo stat benè fulta juvante,

Rectissimus cui Confusus es, integer usque animi.

Non sum divinus, neque vatem dadala rerum

Natura me finxit parens: attamen hoc videor

Dicere jure bono quovis sub pignore posse:

Qualis colonus, arborem, ipse suis manibus

Quam sevit, vovitque in postuma crescere secla,

Crevisse quando jam videt, primitiasque dare,

Picta verecundo Pomona dona colore,

Præcordiis in intimis gaudia magna capit,

Spe fruiturque sua, quam res tandem ipsa secuta est,

Et post sequetur annua, munera grata ferens:

Talis consoceros animus beat atque beabit,

WESEMBECI & STRASBURGE, vos, cum sobolem aspicitis

Auspiciis vestram jungi felicibus, & mox

Volventibus cum mensibus pignora conjugio

Expectatis ab hoc dulcissima, jamque adeò ipsa

Lato augurio præsumitis. ô nitida illa dies,


Quæ vobis patrum pro nomine nomen avorum

Indet, vice optatissima! quæ genetricem aviam

Reddet utramque, beans longo agmine deinde nepotum,

In queis velut renascimur, proferimusque genus

*Immortale ex mortali quodammodo factum.
O matrimonii sator, vota pia hac rata fac:
Conjugibusque novis tua deplue munera caelo,
Tuamque adauge Ecclesiam his quoque seminibus:
Nec modo multiplica redivivo germine terras;
Caeli sed hortis insere, atque riga, atque fove.
Sic tua per populos clarescat gloria: sic te
Matres patresq, unum DEVM & soboles celebrent.*



*THEMIS SAXONICA,
gratulabunda
CONJVGIO PETRI WESENBECCII
JUNIORIS,
&
MARIÆ STRASBURGÆ.*



*ACTENSU egregias, Germania nostra, columnas,
Egregia sacri Juris in arte, tulit.
Itala miretur tellus, miretur & ipsa
Gallia, miretur gens & Ibera, suos.
Nos equidem in nostris, benè quod miremur, habemus,
Grati nossemus si modò dona DEI.
Claruit imprimis, vitam & clarescet in omnem,
MATTHAEVS merita laude WESENBECCIVS.
Claruit, & vita tempus clarescet in omne,
Nobile PISTORVM, Juris in arte, genus.
Quid reliquos memorem, quos inclyta LEVCORIS, & quos
LIPSIA cum FENA fovit amica sinu?
Non opus est: siquidem illorum monumenta supersunt
Ingenii, nullos non memoranda dies.*

Sed

Sed miserum, mors ante diem quod sustulit omnes,
Immemor ingenii, nec memor officii.
Has conquesta vices, multo THEMIS anxia luctu,
Opplevit lacrymis ora verenda suis.
Nec mirum, siquidem, tantis cultoribus orba,
In patrio timuit dicere jura foro.
Hoc ut præ reliquis JUNO soror optima vidit,
In talem fecit verba diserta modum:
Talibus, ô soror, excrucias cur pectora curis,
Atque foves tacito tristia quaque metu?
Pone modum, quoniam luctu nil proficis isto,
Et lacrymis hominem non revocare datur.
Te magis exhilaret, quod totum nota per orbem
Fama horum, meritis quam peperere suis.
Præterea juris nunc lumina plura supersunt,
Omnia nec rapuit mortis avara manus.
Egregios inter PISTORES, maximus ille
HARTMANNVS vivit, Juris Apollo sacri.
Qui quantum patriam, & peregrinas juverit oras
Ingenii plenis, judiciiq; libris,
Plurima testantur varii monumenta laboris,
Quæ sunt æternos non moritura dies.
COBURGI Illustri vivit quoque clarus in Aula
De celebri PETRVS stirpe WESENBE CIVS.
Ad SALAM tibi qui multum est operatus, & ALBIM,
Cujus & ALTORPHI fama laborq; viget.
Et nec laude minor, NORICA, STRASBURGV S, in urbe,
Vivit adhuc, juris gloria magna sacri:
Quem grave judicium, gravis & sapientia rerum,
Inclita quem virtus alta sub astra vehunt.
Cujus consiliis quoque nunc Republica crescit,
Justitiæq; simul plurimus extat honos.
Et quia uterque parat thalami nova gaudia Natis,
Latitiæ major suppetit ansa tibi.

B 3

Non

Sed

*Non equidem fas est, misceri tristia latis,
His quibus est de te mens meruisse benè.
STRASBURGI imprimis socer ipse THOMINGIVS hoc vult,
Præmia quò constent digna labore suo:
Exigit hoc patruus MATTHÆVS & ille, sacrarum
Interpres legum, justitiæq; decus.
Hactenus hæc JUNO: quam mox THEMIS alma secuta,
Facundos tales protulit ore sonos:
Vera refers equidem soror, in mea membra redit jam
Cumque vigore color, cumque colore vigor.
Sat lacrymata modum faciam, & pro fletibus ultrò
Lata dabo tantis præmia digna viris.
Præmia digna puto: mea si nunc junxero sponsis,
Sincero ex animo vota profecta, novis:
Scilicet eveniant vestris fausta omnia tadis,
Cum lacte atque mero, mella fluant thalamo.
Vos socialis honor sic casto fœdere jungat,
Corpora bina licet, sit tamen unus amor.
Furgia non turbent vitam, procul absit Erynnis,
Et vestrum bona pax excubet ante thorum.
Vivite longævi, felices Nestoris annos,
Et multa vestram prole beate domum.
Hæc precor, hæc opto, hæc mea verba novissima sunt,
Et spero eventu non caritura bono.*

Stephanus Schelhase J. V. D.
Judicii provincialis & Sca-
binatus Saxocoburgici as-
fessor.

ANA-



ANAGRAMMATISMI

IOHAN. ADAM. THRVMMERER. I. V. D.

PETRVS WESENBECIVS:
MARIA STRASBURGA.

VBER SPETIE, CENSU, VSV,
ARRHA REBVS GRATA IMIS.

SPONSI.



*Adte SPONSA feror CENSU VBERE DVLCIS A-
Eximia SPECIE condecoratus, ovans. [MORIS,
AERIS praterea CENSU VBER, providus VSV,
His ergo externis LAETA fruare bonis.*

SPONSÆ.

*Adte SPONSE feror GRATA CVM PECTORIS ARRHA,
IMIS VEL MINIMIS REBVS IN ARRHA TIBI,
ES MIHI, FORTVNAE, PETRA, quò spiraverit aura,
SVM VIA, tuta, frequens, ARX & opima TIBI.*

ALLEGORICA EXPOSITIO.

*CVM DEVS & SPECIE, CENSU, VOS AVXERIT VSV,
Sic triplici, FORMAE ac AERIS & ARTIS OPE:
Mancipio haud tamen his toto vos deditis ausu,
Sunt vestri ADIVNCTVM nobile curriculi.
PRINCIPIVM verò CHRISTVS, spes unica & ampla.
ARX invicta malis, at VIA, PETRA, bonis.
AVREA quod sequitur CONCORDIA prapete cursu,
ARRHA PETRO GRATA IPSI, NEC AMARA MA-
Hoc VOTVM vobis jube, suave sit omne per avum, [RIAE.
CORDIS & in gremio VIVAT AMORIS AMOR.*

M. P. E.

vult,

7. D.

Sca-

ci af-

N A-





M. P E T R V S H O F M A N N V S,
Coburgi Medicin. fa-
ctitans.

AM simul ac venas inflavit tetra libido,
Urimur, ad Venerem fervida flamma volat.
Candida, blanda, decora, superbaq₃, fervida virgo
Quaritur, & fallax acrius urit amor,
Hic mores nulli, probitasque, fidesque, pudorque,
Prævalet: hic tantum Cypria virgo placet.
Estq₃ amor inconstans: facies, non uxor, amatur.
Labitur ut facies, sic juvenilis amor.
Si subeant ruga, cutis arida, laxaq₃ fiat,
Dentes obscuri, parvi oculique simul,
Collige sarcinulas, gravis es, deformis, & exi,
Deformi uxori sæpè maritus ait.
Queis simul & mores, probitasq₃, fidesq₃, pudorq₃
Conveniunt, illos faustior aptat amor.
Est pia, P E T R E , tua, & formosa, benigna, pudica,
Es pius, & florens, est tibi faustus amor.
Sit tibi faustus amor, puerisque beata creandis
Uxor, & exolvat vincula sera dies.



P E T R O



S,
PETRO WESEMBECIO FIL.



MARIÆ STRASBURGÆ,

Sponsis Nobilissimis & Lectissimis.

at.
virgo
Huc huc, qua in melico residetis vertice Pindi,
Ter tria Mnemosidum Numina ferte pedes.
Huc Charites properate, Venus, tuq; alme Cupido,
Latorum & quicquid numinum ubique manet.

Huc agite unanimes Divi Divaq; leporum
Ferte & Apollinea munera mille lyra.

Namque WESEMBECIO Sponso STRASBURGIA nubet
Nympha, coitque iterum nobile conjugium.

Concinite, & laudes utriusque referte parentis,

Quos oriens novit Sol moriensque viros.

Utq; WESEMBECIAM virtutem haud una stupescat
Aula, ut STRASBURGAM Noricus ornet ager.

Dicite sponzorum dotes & nomina mille
Virtutum, atatis ver juvenile, genus.

Hac atque his alia, in numeros aptate decoros,
Atque modos plectris ludite Threiciis.

Dúmque Mele illa canetis, dum lyra vestra sonabit,
Vallésque & colles excipiant sonitum.

Atq; polus supra adplausum, mare murmure blando
Infrà testetur: sensum etiam arboribus

Sufficite, atque umbris, ut qua vos mellea dona
Funditis, illa etiam discupidâ aure bibant.

Ipse quidem, ingenii si vis foret illa, vel ardor,
Cantatis sponsi laudibus invehere.

Jam plenis velis decantans stemma, & avorum
Nomina Belgiaco clara subinde solo.

R O
C

Jam

*Jam canerem ardorem, patrii quo nominis haeres
Virtutes etiam exoptat amatque patris,
Atque omni incumbit nisu, ut venerabilis aeo
Jam pater in gnato vivere se videat.
Nec sponsa dotes, atque ornamenta tacerem,
Quae illam ornavit desuper ordo DEUM.
Namque verecundum jam purpurei oris honorem,
Mellaque jam lingua, fur animosque oculos
Laudarem versu: pietatem cum probitate
Pluraque virtutum nomina dinumerans.
Sed mihi non ea vis; faciant quibus omne decoris
Phæbus & Aonides contribuere Dea.
Rectius inque-tonans tuba fecerit ista MELISSI,
Quo vix majorem viderit ulla dies.
Enthea GRVTERI vis hac, hac vividus ardor
GENTILIS, Musa & RITTERISHVSIADAE,
Rectius & melius poterunt. Nullo inter olores
Unquam blandisonos anser honore strepit.*

M. Michaël Piccartus
Francus.



SPONSIS

SPONSIS LECTISSIMIS:
PETRO WESEMBECIO FILIO,

ET
MARIÆ STRASBURGÆ.

SI postquam face fervidâ
Ardacisque inimico igne Cupidinis
Haustum collicuit jecur,
Tum obtutus geminos, tum vacua aurium
Ardor turbidus obsidet,
Tum mentem ipsam animi contenebrans nigror
Et fax fumida nubilat,
Et sensus viduus quisque sui est amans:
Quidnam hos, obsecro, versibus
Surdos adstrepimus? ut quid amantium,
Seu testudine seu lyrâ,
Seu vocis liquida Nectareo sono,
Sensuras animas velut,
Mulcemus? Labor est irritus. Haud velim
Nunc te, PETRE, morarier
Longo carmine: quippe auribus officit
Quovis carmine dulcius
Nomen conjugii suave novi. Vibrans
AN STRASBURGIA in auribus
Non nostris aditum versibus obstruat?
Non sponsa niveus decor
Mixtus purpureo nunc aciem tibi
Præstinguat, neque amiculos
Ut jam nosse queas, nec tibi nexiles
Quas nunc Musa corollulas
Offert nostra oculis respicere, unicam
In speratam inhiantibus?

Michaël Virdungus Fr.

C 2

AD

ISIS





A D
LECTISSIMOS
SPONSOS
ODARION.



*QVI fluentum Castalii obtines
Amnis, sacra ti verticis incola,
Collésque dio flore comtos
Nectareo saturas canore!
Descende ab astris, irrue pectori
Meo, no veni Numinis inclyto
Presente confessu, melósque
Suggere nobilius, quod hasce
Horas secundis concelebret modis,
Diésque latis condecoret sonis.
Nunc gestiendum, nunc protervo
Est pede pro subigenda tellus.
Favebo plectris, semper erit mihi
Solemne tempus, limine Norico
Quo Numinis fato maritam
Sanguine splendidiore natus*

Jungit

Jungit sibi PETRVS VVESEBECCIDŪM
Praeclara proles. Clarior emicat

Uterque conjux, dat sacrāsque

Ecce fidem properans ad aras:

Vultum serenes quisquis amicior

Hic degis. Altis plausibus hospites

Ovate, sponsis obviantes

Carminibus cupidisque votis.

Nam sacra casti digna favoribus

Latis tori sunt, principem originem

Ferunt DEO acceptam, parentes

Cum sociasset amore priscos.

His absque non commercia, non forent

Mortalium coetus, neque publica,

Nec privata res consisteret, nec

Sua visonum sobolis patrisque

Audire posses nomen, & optimum

Cultoribus gens pessum hominum suis

Itura privaret Tonantem,

Si thalami sacra concidissent.

Quin ipse CHRISTVS Nectare Cacubo

In nuptiis praesens liquidas aquas

Mutat, catenas comprobat dum

Munere Gnossiaco jugales.

C 3

Hoc

Hoc P E T R E, magni progenies patris,
Dum intentus æquo lumine pensitas,
 Jam nuptialis vincla nexûs
 Conjugiique fidem subibis.
Hoc nempe tempus lumen amabile,
Hunc expetitur jam toties diem
 En, sponse, quam flatu secundo
 Prompserit æthereo axe Titan.
En quàm venustam, quàm tibi floridam
Dulcis solutis Cypria crinibus,
 Formosiori Noricorum
 De grege, quaritet ipsa Nympham!
Illam tibi offert Idaliæ decus,
Hac transige annos, siue sit improba
 Rhamnusia, aut si sorte dante
 Prosperius tibi currat ævum.
Cælo supinas en ferimus manus,
Ne jurgiorum gliscat acerbitas,
 Ast augeatur ter, quater, pax,
 Sensus & unanimis perennet.
Vestros lares munimine fulciat
Auctor jugalis fœderis optimus,
 Et protegat vos diro ab omni
 Candidiore beêtque sorte.

Citis

*Citis Apollo sic quoties equis
Bissena fervens astra cucurrerit,
Lucina vestrum faustiori
Prole hilaret thalamum benigna.*

Accinebat

Joachimus Strasburgus
Hal. Saxo.

F I N I S.

itis



Caro apollo sic quous equis
Bisphora p...
Lucina v...
Prole h...
Accinbat
Jochimus Garaburgus
Hil. saxo...


F I N I S



aul-
us.

m





Cl 2490


ULB Halle

3

004 936 701







49

⁴⁷¹¹
H Y M E N Æ V S,
AD N U P T I A S
P E T R I W E S E N B E -

C I I J V N I O R I S,

Ε Τ

M A R I Æ S T R A S -
B V R G Æ,

Factas Norimbergæ

XVII. AVGVSTI,

A N N O

—
c l o I o c i .

D E C A N T A T V S

A B

A M I C I S .



N O R I B E R G Æ ,

In Typographéo Pauli Kauffmanni.



#31

*Dr. M. Albrecht
affini suo.*

